



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt X. Monasterium Regium S. Aemiliani de Cuculla, vulgò de S. Millan
de la Cogolla, aliàs de San Millan de Suso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT. X.

Monasterium Regium S. Aemiliani de Cuculla, vulgò de S. Millan de la Cogolla, aliàs de San Millan de Suso.

574. **S** *Aemilianus*, Patronus ac defensor Hispaniæ viuere desijt an. Christi 574. die duodecima Nouembris, Vitam eius scripsit Braulio, siue Braulius Cæsarangustanæ Ecclesiæ Episcopus, exstatque apud Prudentium Sandouallium Parte I. foundationum monasteriorum in Hispania. S. Aemiliani magister fuit S. Felix presbiter, cuius translationem descripsit Grimaldus, exstatque citato loco apud Sandouallium. Est hoc monasterium longè antiquissimum, quod numquam vel à Mauris vel ab Arrianis hæreticis fuit violatum.

Huic cœnobio tamquam matri, originem suam debent monasteria virorum varia: vt S. Martini de Ferran, S. Martini de Thama, S. Romani de Doniscle, S. Martini de Mena, S. Felicis de Auca, S. Ioannis de Orbananos, S. Vincentij de Ocizta, S. Stephani de Salzedo, S. Martini de Mameto, S. Mariæ de Casiera, itemque monasterium vnum monialium, videlicet S. Michælis de Peditoso.

De S. Aemiliano hæc legitur inscriptio in veteri tumulo

Purgatissimi Apostoliciq, viri Aemiliani corpus

corpus hic humatum iacet, qui postquam eremiticam vitam multis annis egit & clericalem, tandem monasticam professus, sub regula Benedicti curam gerens Abbatialem, obiit in Domino clarus miraculis & prophetia spiritu, Hera. DC. XII.

In hoc monasterio de Suso spectantur octo arcae lapideae, in quibus quiescunt famosissimi illi septem *Infantes de Lara*, cum suo Ayo, ut Hispanicè vocant seu magistro. Ita sandouallius in dicta parte prima foundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

*Infantes
de Lara.*

Est autem hoc monasterium situm in D. Calagurritana & sancti Dominici de la Calçada.

CAPVT XI.

Salisburgense sancti Petri monasterium.

Celebre istud monasterium, ex quo multi egregij viri ad gubernandos varios Germaniae Episcopatus atque Abbatias prodierunt, construitur atque instituitur per sanctum *Rupertum*, vnà cum Episcopatu Salisburgensi, auxilio & munificentia inclyti *Theodorus* Ducis Bauariae, quem sanctus *Rupertus* in fide Christiana Ratisbonae instituit, & vnà cum suis optimatibus, sacrae regenerationis lauacro abluit, circa annum 580. In hoc monasterio ipse *S. Rupertus*, & septem eius successores sedem Episcopalem habue-